



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Epistolarvm Innocentii III. Romani Pontificis Libri Vndecim

Innozenz <III., Papst>

Parisiis, 1682

Terdonensi Episcopo.

urn:nbn:de:hbz:466:1-20020

TERDONENSI EPISCOPO.

*Ips. 116.
Diputatio
pro contumac
ia matrimonio
a secundo &
anno, causa
justa.*

Sicut ex tuarum acceperimus serie litterarum, inter quosdam Terdonenses cives, propter homicidium quod quidam ex eis dicitur perpetrasse, grave scandolum est exortum. Verum ne odium profilaret ad actum, interficti consanguinei quandam ipsius neptem nepoti homicidium perpetrantis nisi sunt matrimonialiter copulari, inter eos contradicunt. Jam sponsalibus de praesenti. Sed quia contrahentes prefati secundi generis affinitatis gradu tertio se contingunt, ipsum contrahi matrimonium permittere noluisti. Quacirca fraternitati tuae per apostolica scripta mandamus quatinus cum ex hoc bonum non modicum valeat provenire, ipso, si aliud canonicum non obsistat, inter se contrahere matrimonium ex dispensatione permittas. Datum Viterbij Kal. Octobris, anno decimo.

ARCHIEPISCOPI, EPISCOPI,
Abbatibus, & aliis tam Clericis quam
laicis per regnum Vngarie constitutis.

*Ips. 117.
Legatum le
git apostolic
issimile re
cipiunt.*

Fundamentum & fundator Ecclesiae Dominus Iesus Christus, postquam splendore sue divinitatis inflammavit testam fragilitatem humanae, ut dragmam perditam reperiret, & pius pastor ad cadas, ubi non aginta novem reliquerat, erabundam omen propriis humeris reportaret, usque adeo erga salutem humani generis cotidiana remedia incessanter exhibuit ut si quis a catholica fide non devians hoc velit subtiliter intueri, sicut ipse est totius gratia plenitudo, sic ad plures circa nostrae conditionis miseras miserationes ejus exuberant, ut in omnibus ipsius perfectio nostrum suppleat imperfectum. Inter cetera sane quibus Christiano populo propter varias plagas criminum quasi semivivo relicto per ipsius prudentiam sunt provisa remedia, convenientis antidotum in soliditate sedis apostolica renovavit, eam totius Christianitatis caput constituens & magistrum, a qua, sicut unguentum in capite quod descendit in barbam & ad oram etiam vestimenti, panis intellectus & vita ad alias Ecclesias cum doctrina procedat fidei & aqua sapientiae salutaris. Verum ne inter curas continuas & prægrandes pastor ipsius & rector pro defectu imperfectionis humanae deficeret, si solus consumendus inani labore ad suam omnia sollicititudinem revocaret, attendens quod messi multa-

unus non sufficiat operarius, multos sibi operarios & verbi dominici cooperatores adjungit, ac per eos exequi cogitur quæ per se non potest personaliter adimplere, ejus instructus exemplo qui & duodecim Apostolos & alios septuaginta duos elegit, & binos ante faciem suam ad prædicandum direxit. Cum igitur necessitas regni Vngarie illuc exegerit Legatum a nostro latere destinari, nos ad exaltationem & commodum tam Regis quam regni specialiter & efficaciter intendentes, eum ad partes illas non immerito duximus transmittendum quem inter fratres nostros sincera diligimus in Domino caritate, dilectum videlicet filium nostrum G. Tituli sancti Vitalis Presbyterum Cardinalem, virum genere nobilem, literarum scientia præditum, morum honestate præclarum, discretrum & providum, & suis exigentibus meritis nobis & fratribus carum admodum & acceptum, concessa sibi plenaria potestate ut evellat & destruat, ædificet & plantet quæ in regno illo evella & destruenda, ædificanda cognoverit & plantanda. Monemus proinde universitatem vestram attentiū & exhortamur in Domino, per apostolica scripta præcipiendo mandantes quatinus præfatum Cardinale tanquam Legatum apostolicæ sedis & magnum in Ecclesia Dei locum habentem, imò personam nostram in eo recipientes humiliiter & devotè, ipsiusque salubribus monitis & præceptis promis mentibus intendentes, quæ inter vos statuenda duxerit, tanquam devotionis filij recipiatis firmiter & servetis; de cuius nimirum circumspectione provida, & providentia circumflexa indubitatum fiduciam obtinemus quoniam dirigente Domino gressus ejus, ita regia via curabit incedere quod non declinans ad dexteram vel sinistram, ipsi Deo, nobis quoque, ac vobis pariter merito poterit complacere. Ipsius proinde universi ac singuli reverentiam debitam & devotam obedientiam impendere satagatis; ne si, quod absit, a quoquam esset aliter attentatum, præter ipsius Cardinalis offendam, cuius censuram canonicam, si quam in contumaces aut rebellis duceret promulgandam, facceremus usque ad satisfactionem condignam inviolabiliter observari, nostram quoque indignationem incurreret, qui secundum Apostolum omnem inobedientiam prompti sumus ulcisci. Datum Viterbij Nonis Octobris, anno decimo.

In eundem modum Archiepiscopis,

K iij

